



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXXIV. Dilectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

opem pauperibus Canonice afferat, idem facultatem tribuit, si evidens necessitas, vel utilitas Ecclesiæ ejus exigit, ut Capellas suæ diocesis Canonicalibus præbendis annectendo Canonice redditus augeat, reliquâ congrua portione presbyteris Capellarum.

SUMMARIUM.

1. *Generalis Concilij decretis difficulter derogat Pontifex, ita ut non censeatur illis derogare, nisi expressa clausula adsit: non obstante Concilij decreto, &c.*
2. *Enumerantur causa justa, ob quas à Pontifice præbendis canonicalibus uniri possint Ecclesia parochiales.*
3. *Quis curam habeat in talibus Ecclesijs parochialibus, cui Vicarius perpetuus datus est?*

Notandum primò. Papa difficulter adducitur, ut Generalis Concilij decretis deroget, sive in ijs dispenset, quam ob rem, nisi clausula derogatoria, non obstante &c. expressè adjiciatur, nunquam censeatur derogatum Concilio generali, prout docuit *lib. 1. tract. 4. c. 21. n. 2.* quod maxime verum est, si Concilium Generale proximè antecesserat, sicuti hic apparet, & ob eandem causam Papa difficillimè dispensat adversus Trident. Concilij decreta, præterquam, si ipsum Concilium dispensationis à Romano Pontifice faciendæ mentionem aliquam faciat: cum enim talia statuta novè edita sint, idem per observationem introduci ac stabiliri debent, non autem mos per derogationem, vel dispensationem infirmari.

Notandum secundò. Causa justæ, cur parochiales Ecclesiæ per Romani Pontificis auctoritatè uniri possint canonicalibus præbendis, sunt hæc: videlicet evidens necessitas, si nimirum propter præbendarum tenuitatem non reperiantur Clerici, qui eas acciperent, & in Ecclesia præsertim Cathedrali ministrare velint; atque evidens utilitas Ecclesiæ, si nimirum propter præbendarum tenuitatem non reperiantur idonei, & Ecclesiæ præsertim Cathedrali utiles Clerici, qui institui velint. Ita notavit *Abb. hic n. 5.* ubi ait, personæ merita, & excellentiam, non esse causam sufficientem ejusmodi unionis, quia cum hæc unio perpetua sit, & ipsius beneficii naturam immutet, idem propter personæ merita potius beneficiorum incompatibilium pluralitas dispensativè permitti debet juxta *c. de multa 28. hoc tit.* quàm annexio, seu unio præbendarum, seu beneficiorum.

Quæritur, Si Canonice, seu præbendæ canonicæ annexam sit Ecclesia parochialis, ita ut Vicarium, eumque perpetuum, necesse sit constituere, quis curam Animarum habeat, Canonicus, an Vicarius? De hoc disputat *Gl. V. necessitas, & alij Canonice hic apud Imolam n. 4.* Mihi placet, ut dicamus cum *Anton. hic*, quod cura in habitu pertineat ad Canonicum, tanquam Rectorem Principalem, ad Sacerdotem verò pertineat, cura in actu, tanquam Vicarium, prout latius explicavi in *disp. de Præbendis. q. 208.* Sed alia ratio est, si dismembratio beneficii curati facta sit, quia ex parochiali beneficio portio ablata, & pensionis titulo adjuncta præbendæ Canonice. Hoc casu Canonicus nullam curam parochiæ habere censeatur, prout notat *Abb. in fine c.*

CAPITULUM XXXIV.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

G. Clericus impetravit ab Honorio III. literas ad Decanum & Capitulum Andegavense, mandatum continentes, ut ipsum G. cum primùm se facultas obtulerit, in Canonicum ibi reciperent, & fratrem. Executoribus etiam constitutis Episcopo priore, & Archidiacono Erfordiensibus. Coram his Decani, & Capituli procurator excepit, literas Apostolicas non valere, quia in ijs nulla mentio fiat, quod Decanus ex Regis donatione præbendarum in ea Ecclesia collationem haberet. Hoc intellecto d. cti

P

Epi-

Episcopus, & Socij ejus interloquendo pronunciarunt, non sine malitia, uti videtur, se mandatum Apostolicum exequi non debere; quare duæ præbendæ, quæ ab illo tempore vacârunt, alijs Clericis collatæ fuerunt; sed quia dictus G. appellaverat à sententia executorum, cui appellationi ijdem etiam detulerunt, rescribit Pontifex nolle se, ut G. literarum Apostolicarum commo- do diutiùs careat; idèoque mandat eisdem executoribus, ut non obstante exceptione ea, quam frivolam esse decernit, mandatum Apostolicum executioni mandati curent.

SUMMARIUM.

1. Mandata Sedis Apostolica circa collationem beneficiorum, alia sunt de providendo, alia executoria, ubi varij etiam modi, & formæ talium mandatorum explicantur.
2. Explicatur, quo tempore gratiæ tales Apostolica suum effectum habeant, an tempore concessionis, expeditionis, vel præsentationis.
3. Executor ad beneficium deputatus num- merus an mixtus censeri debeat?
4. Utrum executor ad beneficia possit al- teri committere examen persona pro- movenda?
5. Delegatus, aut executor num sit com- petens, ipsemet decidere potest.
6. Ordinario tamen non potest se immisce- re, si beneficium, intra triginta dies, Ordinarius, ad quem litteræ in forma Dignum, directæ sunt, non conferat ex causa aliqua rationabili.
7. Translatum à Laico in Ecclesiam, vel Clericum, jus presentandi, ratione dignitatis, fit Ecclesiasticum.

Notandum primò. Litteræ, & man- data Sedis Apostolicæ circa beneficio- rum collationes, alia sunt de providendo, alia verò executoria: mandata de provi- dendo duplicis generis existunt, vel de be- neficio proximè vacaturo, sicut patet in hoc cap. quando Pontifex scripsit ad Decanum & Capitulum, ut Clericum impetrantem,

cùm primùm se occasio obtulerit, seu Ca- nonicatus vacaverit, in Canonicum reci- piant. Verùm hæc mandata, quæ aliàs dicuntur expectativæ, & gratiæ ad vaca- tura, sublata sunt per Concil. Trident. sess. 24. c. 19. de reform. & videtur potest Garz. p. 6. c. 1. Vel mandata seu litteræ benefi- ciales dantur de beneficio vacante, & hæc in duplici forma dari solent à Sede Apo- stolica, vel in forma, quæ dicitur gratiosa, si nimirum Papa Romæ conferat Clerico be- neficium, v. g. Canonatum, mensis Pon- tificij, & expediri solent hæc litteræ cum li- lis fericis rubri, croceique coloris; ad- jungitur verò mandatum ad executores, ut provitum in possessionem inducant, contra- dictores compescendo; quod verbum in- telligi debet, de ijs, qui de facto contradi- cunt, non de ijs, qui de jure contendere volunt; horum enim causâ ab executori- bus, cùm sint mixti, ut postea dicam, co- gnosci debet, & dicitur hæc Bulla Executo- ria, habens chordas Cannabis, si à Can- cellaria Apostolica expediatur; sin verò à Camera, in eadem membrana, seu Bulla hæc duæ formæ videlicet gratiosa, & ex- ecutoria conjunguntur teste Rebus. in pract. c. 1. tit. de forma novæ provisionis, ubi de quarta parte Bullæ.

Vel dantur litteræ in forma incipiente Dignum, quando Papi beneficium non con- fert, sed mandat Ordinario, aut Vicario ejus, ut præmisso examine certæ personæ, pro qua scribitur, intra 30. dies, post præ- sentationem litterarum numerandos, con- ferat, possessionemque tradat, possessore quolibet amoto, & contradictores com- pescendo, prout videre est apud Flamin. de resignat. lib. 8. q. 7. n. 137. Et expeditur Bulla ista cum chordis cannabis, & una cum ea expediri solet alia Bulla ad executorem, vicinum aliquem Episco- pum, aut Vicarium ejus, tali forma, ut si Ordinarius intra dies 30. beneficium non conferat, ipsemet executor conferat & exe- quatur juxta Apostolicum mandatum, prout tradit Garz. cit. p. 3. c. 2. n. 5.

Quæ-

Quæritur primò. Quo tempore hæ, & aliæ gratiæ, aut litteræ Apostolica sum effectum consequantur, num tempore concessionis, an expeditionis Bullæ, an verò præsentationis. Loquimur autem de gratiis, sive concessionibus factis, non de faciendis, prout annotavi in *lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 10. Resp. & dico primò.* Gratia, & beneficia principis, absque ulla scriptura, per solam voluntatis declarationem, quæ sit verbo fiat, valorem, ac vim suam accipiunt, saltem si secundum se, & in conscientia foro spectentur. Ita sumitur ex *c. institutionis 6. causa 25. q. 2. juncta Gl.* ubi dicitur, quod *sententia principis, sive in scripto concepta, sive voce, Jus facit.* Et ex *Clement. dudum V. nos etenim, ubi Gl. V.* verbo hic videtur expressum, quod valet privilegium, vel gratia Apostolica, licet scriptura confecta non sit: quod etiam ex communi doctorum *Sylvest. V. privilegium q. 14. Joannes Cochier in regulam 53. Cancellaria. Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 29. n. 2. Molina 10. 3. disp. 599. & tradidi cit. c. 22. n. 10.* ea ratione, quia ad substantiam cujusunque concessionis, aut donationis, supposita potestate donandi, plus non requiritur, quam consensus duorum in idem, videlicet, ut unus petat, aut acceptet, & alter annuat, seu velit, gratiam aut privilegium concedere.

Excipi debet, nisi speciali lege statutum sit, ut ad valorem gratiæ, dispensationis, facti, vel contractus requiratur scriptura, ita ut sine ea valorem non habeat. Hoc modo notum est, & docui in *lib. 3. tract. 4. c. 3. n. 2.* quosdam esse contractus, videlicet emphiteuticos, qui scripturâ perficiuntur. Eademque ratione dicendum secundum stylum Romanæ Curia, omnes provisiones aut gratias beneficiales, quæ fiunt à Sede Apostolica, per collationem, confirmationem, unionem, aut dispensationem, de retinendo, vel alio modo, non antè esse validas, quam litteræ fuerint expeditæ, ac plumbatæ, aded, ut qui absque litteris possessionem apprehenderit in quolibet bene-

ficio, aut prælatura, pro intruso habendus sit: prout videre licet apud *Azor tom. 1. lib. 9. q. 5. Flaminium lib. 6. q. 4. n. 38.* Si tamen error aliquis in expeditione commissus sit, qui ex supplicatione corrigi debeat, plumbum auferri solet ab officiali ad hoc destinato, & alijs confectis litteris inferri, sed si alius id facere aggredetur, tanquam falsarius puniri potest, teste *Rebuffo de Bulla nova declaratione n. 17.*

Similiter secundum regulam Cancellaria 53. dispensationes Pontificiæ non suffragantur, antequam litteræ expeditæ sint; id verò intelligi debet duntaxat, in ordine ad forum externum, in quo dispensationes eliminari non debent, nec secundum eas procedi, aut judicari, nisi litteræ expeditæ fuerint, illarum tamen valor, & substantia etiam in ipso externo foro metiendus non est secundum tempus expeditionis litterarum, sed secundum tempus concessionis, tamen si Papa, qui gratiam dispensationis concessit, mortuus sit, & litteræ expeditæ fuerint nomine Pontificis succedentis, sicuti testantur *Cochier, Molin. & Sanchez.*

His addendum est, quod litteræ, quæ ad iudices, vel executores diriguntur, non tantum expeditæ esse debeant, sed etiam intimatæ, seu præsentatæ, neque sufficiat protocolium Notarij manu scriptum, aut ab eo transumptum, teste *Garzia mox citando,* aded ut si iudicium, ante præsentationem litterarum authenticarum, cæptum sit, pro irritato haberi debeat, juxta regulam Cancellaria 25. de non judicando secundum formam supplicationum, & docent *Molina cit. disp. 599. n. 2. Garzia. p. 6. c. 2. n. 16. Sanchez cit. disp. 29. n. 10.* ubi aiunt, exercitium jurisdictionis non acquiri, nisi litteræ commissionis præsentatæ sint.

Dico secundò. Ad probationem faciendam intra, vel extra iudicium, frequenter necessarium est, ut gratiæ seu privilegia in scripturâ redacta sint. Ita ex communi *Marscar. con. 845. n. 15. Sanchez. cit. loco.*

Corollarium. Si quis sciat à Pontifice dispensationem concessam, v. g. super lege-

jejunij, tamen si litteræ expeditæ non sint, aut amissæ, gratiâ eâ uti potest: verum si deprehendatur, puniri potest, tanquam Canonis transgressor, si litteras dispensationis ostendere, aut de ijs fidem facere non possit.

3. Quæritur secundò, num executor deputatus ad beneficium, merus, aut mixtus censeri debeat? Resp. & dico primò: in quibusdam casibus certum est, esse executores merum, ita ut iudicis officium assumere non possit, videlicet, si collatio beneficij, seu inductio personæ in possessionem ejus, ab eo commissâ sit, qui inter partes judicandi potestatem non habet, v. g. à Capitulo, tunc executor cognoscere quidem potest, imò debet, num persona qualitates requisitas habeat, & narrata in impetratione, quæ ad rem pertinent, verificare possit, prout docet *Garzias cit. c. 2. §. 2.* Verum tamen non judicialiter, sed extrajudicialiter tantùm talia examinare debet, prout docent *Innocent. & Felin. in c. ult. n. 19. de officio delegati.*

Præterea si is, qui commissionem facit, causam plenè cognovit, tunc executor tenetur esse merus, sive datus ad meram executionem; idemque est, si Papa, aliùsve Ordinarius mandat alicui provideri ex certa scientia, ita ut nullæ exceptiones admittendæ sint: quæ de re *Felin. in c. de cetero. con. 2. ibidem Hostiensis de re judicata. Abb. in ex. c. parte 13. de officio delegati.* Idemque verum est, tamen si in commissione adjecta sit clausula, contradictores compellendo, videlicet per censuras, quandoquidem talis jurisdictio non se extendit ad causam principalem, aut eos, qui de jure contradicunt, sed eos tantùm, qui de facto se opponunt, aut resistunt executioni, uti supra dixi.

Dico secundò. In quibusdam casibus certum est, quòd executor ad beneficia partes iudicis assumere possit, & plerumque debeat. Primò si in litteris commissionis expressa sit clausula *vocatis vocandis*, tunc

provisio irrita erit, nisi citatio, & judicialis processus antecedat, teste *Abbate in 8. exhibita. n. 6. de judicij. Tusco V. executor. con. 501.* Quare, si quorum interest, ignorantur, per generale edictum vocari debent *c. ult. de rescriptis in 6.* Secundò si beneficium non vacet de facto, quia aliud in possessione est, quamvis intrusus dicatur, is vocari, & audiri debet *c. licet 28. junctâ Gl. V. de non vocato. de prebendis in 6.* quia non censetur esse Principis voluntas, ut possessor non vocatus pellatur *l. 2. c. si per vim, vel alio modo.* Quare dici solent, quòd nec injustus beneficij detentor removeri debet, Juris ordine non servato, uti videre licet apud *Felin. cit. c. ult. n. 24. Garz. n. 119.* ubi addit: tamen si addita sit clausula, ut remotâ appellatione, contradictores compellantur, quia non intelligitur de ijs, qui jure contradicere possunt, secundum *Gloss. in c. pro illorum 22. V. contradictores, de prebendis.* Excipe, nisi, prout supra dictum est, mandante executionem, causa plenè cognita fuerit. Tertiò: si in commissione continetur clausula, sive conditio, in qua agitur de præjudicio alterius, v. g. hac forma: si Titius beneficium suum sponte, nullaque vi, aut dolo inductus, renunciavit Capto, tribuatur huic beneficium, aut in possessionem inducatur; idemque dicendum, si resignatio beneficij in manibus Superioris, in gratiam certæ personæ facta non est absolute, sed cum conditione, quæ fortasse nondum impleta est, sicuti notat *Garz. n. 126.* Quartò: si executor datus sit ad compellendum Ordinarium, ut conferat; debet enim cum prius monere, ac citare, & si aliquas exceptiones asserere velit, audire. *argum. 4. accepimus 13. in fine de atate & qualitate &c. & tradit Abb. cit. n. 13. casu 4.* Quintò: quotiescunque aliquis comparet contradictor, non tantùm, qui ratione privati interesse se in jure opponere velit, sed etiam, si quis ratione Publici Boni, ut si parrochianus dicat, hominem esse criminiosum, cui beneficium conferendum, sicut *Felin.*

monet

monet. n. 27. *argum. e. ult. de prasumptio-
nibus in fine.*

Dico tertio. Si executori absolutè man-
datur, ut beneficium vacans conferat Titio,
aut eum in possessionem mittat, sive adda-
tur, si dignus sit, sive subintelligatur,
hoc casu, si nullus compareat contradi-
ctor in iure, nec agatur de præiudicio
tertij, opus non est processu judiciali,
cum executor extrajudicialiter cognoscere
possit de personæ qualitate &c. sicuti docet
*Innocent. in cit. c. ult. & Ioannes Baptista
Nicolaus in Regulis Juris V. executor.*
Sed etiam executor, aut subdelegatus ab
eo ceter partes, ac deferat iuramentum,
duntaxat in ordine ad compellendum,
& mandari executionem faciendam, et-
iam censuras intentando, non autem ad
cognoscendum, aut iudicandum inter
partes, nihilominus censeri debet execu-
tor merus, ita ut talis executio alteri
cuicumque Clerico committi possit, teste
Garzia p. 6. c. 2. n. 106.

Quæritur tertio. Utrum executor promo-
tionis ad beneficia, possit examen per-
sonæ alteri committere. Resp. affirmati-
vè ex communi apud *Garz. n. 100.* idque
locum habet, etsi hæc verba sint: on-
tamus in hoc conscientiam tuam, sicuti
docet *Abb. inc. cum in veteri. n. 4. de ele-
ctione Sanchez. lib. 8. disp. 27. n. 43.* qui
tamen id solum affirmat, si commissio
facta sit dignitati, non item, si per-
sonæ certæ; sed alij hujus distinctionis
non meminerunt, absolutè dicentes,
quod executor gratiæ talia præambula,
v. g. examen, alteri committere possit.

Est autem distinguendum, an examen
à subdelegato fiat in forma iudicij, an
verò extrajudicialiter, nam in priore ca-
su debet is esse cathedralis Ecclesiæ Ca-
nonicus, vel in dignitate constitutus. *e.
statutum de electione in 6.* At verò, si sit
actus v. g. examinis, aut corporalis inductio-
nis in possessionem (cujusmodi actus æquè
per alium facere potest commissarius, ac
per se) tum consuetudo obtinuit, ut

cuicumque idoneo Clerico tale ministeri-
um ab Apostolicæ Sedis delegato, vel
executore committi possit, sicuti dixi *in
fine q. precedentis & tradit Rota Rom.
in decisionibus novis. decisione 29. de re-
scriptis. Tusc. V. executor. con. 497.*

Notandum secundò. Orto dubio, num
Judex delegatus, vel executor ad bene-
ficia, sit competens, potest ipsemet tale
dubium decidere: non tamen ex sola
pronunciatione, quòd jurisdictio sibi
non competat, quia v. g. rescriptum, aut
gratia impetrata subreptitia est, jurisdic-
tione carere censetur, cum possit ab eo
appellari, & justificatà appellatione,
causa, vel executio ad eundem remitti,
uti hic apparet, & annotavit *Imola. n.
4. & docui in c. significatibus 38. not.
unico de officio delegati.*

Quæritur. Si Ordinarius, ad quem li-
tera papales in forma *Dignum* directæ sunt,
beneficium intra dies 30. non contulerit,
sub prætextu, quòd literæ subreptitiæ sint,
vel impetrans idoneus non sit repertus,
num executor se immiscere, & procedere
possit ad examen de personæ idoneitate,
aut literarum valore. Resp. Ordinariè
loquendo, cum non posse, quia suppetit re-
medium appellationis ad Superiorem, vi-
delicet Papam, vel etiam Metropolitanum,
teste *Pariso lib. 10. q. 7. n. 25.* & ita docet
*Garzia cit. c. 2. n. 61. & seqq. & sumitur
ex c. si capitulo 5. de souessione præbende
in 6.* quòd executor literarum beneficia-
lium per Bullam executorialem, quæ dicitur
rigorosa, non absolutè constituitur ad
exequendum, sed sub conditione, si Ordina-
rius intra dies 30. conferre non possit,
quia v. g. contradictor apparet, cum quo-
lis est. Veruntamen si notorium sit, fri-
volam esse rejectionem Ordinarij, præser-
tim si non servato ordine, v. g. nullo in-
stituto examine, pronunciet, impetrantem
non esse idoneum, vel non præmissâ co-
gnitione pronunciet, literas esse subrepti-
tias, viderit valiturus processus, & colla-
tio

rio facta per executores post lapsum die-
rum 30.

Notandum tertio. Si Laicus jus præ-
sentandi, quod ipsi ex fundatione competit,
transferat in Ecclesiam, vel Clericum ra-
tione dignitatis suæ, jus Patronatus sit Ec-
clesiasticum, cui proinde Pontifex arbitra-
tu suo derogare, sive Patrono hoc non re-
quisito, collationem facere potest, ac so-
let *c. 1. de jure patronatus in 6. & tradit
hic Gloss. V. frivolam. Imola n. 6. Abb. n.
3.* generalem regulam tradens, si res Laici
conferatur Ecclesiæ, assumit naturam rerum
Ecclesiasticarum, earumque privilegijs gau-
det, & ideo non debet subijci gabellis, a-
liisque oneribus. Vide, quæ docui *lib. 4.
tract. 9. c. 6.* Aliiter intelligi potest casus
hujus capituli, quod Rex beneficiorum col-
lationem habuerit ex privilegio Papæ; hoc
casu ideo Decani exceptio frivola fuit, quia
tali gratia Papa derogare potest per con-
cursum, ita ut, sicuti cum ordinarijs Ecce-
lesiasticis collatoribus concurrit, ita etiam
cum Rege, nisi specialia concordata edita
sint; quibus Pontifex facile derogare non
solet. Vide, quæ dicam *in c. 2. hoc tit.
in 6.*

CAPITULUM XXXV.

Inordinata.

PARAPHRASIS.

I Clerici ad beneficia Ecclesiarum censerī
debent idonei, qui volunt, & possunt in ijs
servire, quam ob rem pueri, & qui alibi
intitulati sunt, cum servire non possint
in Ecclesia, non sunt in eadem idonei re-
putandī.

Notandum. Spectato communi jure ad
beneficium Ecclesiasticum nemo insti-
tuendus est, nisi in eo velit, ac possit per-
sonaliter servire. Consentit *c. 3. de Clericis
non residentibus.*



CAPITULUM XXXVI.

Cum causa.

PARAPHRASIS.

Joannes Canonicus S. Crucis contendebat
cum Episcopo Aurelianensi super præ-
benda sibi integranda, quam causam
Gregorius IX, quibusdam delegavit. Ij
dubitarunt, num alterius præbendæ di-
visio institui deberet, ad integrandam
præbendam Joannis. Respondit Gre-
gorius, quando mandavit præbendam
Joannis integrandam esse, non fuisse
mentem suam, quod propterea alia præ-
benda esset dividenda.

Notandum. Divisio præbendæ etiam
vacantis institui non debet sine neces-
sitate, aut rationabili utilitate, quia non
debet ad unum altare operiendum, alte-
rum denudari. Veruntamen si aliqua præ-
benda non sit integra, & sufficiens ad sit-
tentationem, neque alio faciliore modo,
videlicet ex Bonis Ecclesiæ, seu Capituli
communibus succurri possit, tunc aliud
beneficium, quod redditus abundantes ha-
bet, dismembrari, aut dividi posse, dicit
in c. majoribus 8. & c. vacante 26. hoc tit.

CAPITULUM XXXVII.

Venerabilis.

PARAPHRASIS.

Episcopus Portuensis, cum in Germania le-
gationis Apostolicæ munere fungeretur,
præbendam canonicalem, quæ in Argen-
tineus Ecclesia, tanto tempore vacaret,
ut ejus collatio ad Sedem Apostolicam
devoluta esset, Clerico contulit, sed Ca-
pitulum cathedrale opposuit se, allegans
diuturnam inviolabiliter observatam
consuetudinem, juxta quam nemo, nisi
nobilis ac liber, & ab utroque parente
illustris, honestæ conversationis, atque
eminentis scientiæ in suum Collegium
recipiatur, & ideo ne quidpiam adversus
hanc